

X 1862991

DISPUTATIO HISTORICA
DE

ANTIQUO

FUNERUM RITU,

QUAM

Juvante Deo

SUB
PRÆSIDIO
VIRI

*Admodum Reverendi, Amplissimi atq;
Excellentissimi*

DN. ÆGIDII STRAUCHII,

S. S. Theol. Licent. Mathem. Infer. P.P.
& Histor. Substit.


*Dn. Præceptoris, Promotoris atq; Fautoris sui omni
Honoris & observantia Cultu atatem profe-
quendi*

WITTEBERGÆ
IN AUDITORIO MAJORI.
D. III. Martij
Horis Matutinis
Publico Eruditorum Examine
Vendilandam
proponit

ABRAHAM KITTELIUS,

Lubenâ - Silesius.

A. & R.



Typis MICHAEL Wende. ANNO M DC LX.

II h
330



86





I. N. I.
PRAELOQUIUM.



*Q*uam varia & penè innumerabilia olim apud di-
 versos Populos sepeliendorum Mortuorum serva-
 ta fuerint discrimina, notum est illis, qui pri-
 moribus tantum labris veterum Rerum Monu-
 menta degustarunt. Cum enim gentiles, ma-
 ximà Erroris caligine occacati, & superstitio-
 nibus variis fascinati essent, absurdas de illis foverunt sententias,
 ad quas promovendas non parùm ansam præbuerunt discordes
 quorundam Philosophorum Opiniones. Nam Heraclitus Com-
 bustionem proposuit, quod omnia ex igne constare dicebat. Thales
 Humationem, ut corpora humore resolverentur, ex quo omnia
 procreari arbitrabatur; Democritus in melle servanda affirma-
 bat, quæ sic reviviscere pollicebatur; alii aliter sentiebant. Hinc
 ignorabant, qualem Sepultura Ritum sibi eligere deberent. Esse-
 dones Schythia populi Parentum suorum Fanera cantibus leti pro-
 sequi fuerunt soliti, convocatisque propinquorum cœtibus Cada-
 vera ipsa (ô horrenda Parentalia!) dentibus laniarunt, peco-
 rumque visceribus mixta, Convivis inter epulas apposuerunt;
 Os autem capitis, quod cranium vocamus, auro cinxerunt, & ad
 Poculi usum asservarunt. Massageta, Scythica quoque Gens, eos
 miserrimos & infelicissimos putabant, qui infirmitate ac morbo
 decumbentes, morerentur, talesque feris bestisque vorandos
 projiciebant; unde parentes & propinquos in senium vergentes,
 jugulabant, eosq; in frustra concisos, & ovium pecudumque carne
 permixtos, in Mensa appositos absolvebant. Stuckius Antiqui-
 tat.



tat: Convivial. lib. 1. cap. 25. Lothophagi & quidam Æthio-
 pum suos defunctos in mare abjiciebant, ut à piscibus absumeren-
 tur, parùm interesse asseverantes, humone, an aquâ, an igne
 dissolverentur. Trogloditæ Mortui cervicem pedibus alligabant,
 & raptim cum risu & jocis efferebant, nullâque Loci ratione ha-
 bita, terra inferebant. Polydorus Virgil. l. 3. de Rer. In-
 vent. cap. 10. Chii combustis cadaveribus & ossibus collectis in
 mortario ea contundebant, deinde navigio imponentes in altum
 navigabant, eaque per cribrum ad ventorum flatus dispergebant,
 donec omnino dissiparentur & abolerentur. Hircani, referente
 Strabone, Canes nutriebant, quos vocabant sepulcrales, qui-
 bus Vita functos devorandos abjiciebant. Ægyptii eos aromati-
 bus condiebant, & Parentum aut amicorum cadavera hoc modo
 medicata Creditoribus pignoris loco deponebant, ut ex Luciano
 refert Joh. Kirchmannus lib. 1. de Funer. Rom. cap. VIII.
 Hi autem profani & gentiles, Corpora defunctorum tractandi
 Ritus, ostendunt, verè ab Apostolo de Gentilibus dictum esse,
 quod Spem non habuerint, Resurrectionis scilicet ad Vitam
 eternam. Sed in Ecclesia Christianâ Corpora defunctorum, præser-
 tim piorum & fidelium, non tam irreverenter & irreligiosè tra-
 ctanda sunt, sed secundum Testimonia & Exempla sacrarum Pan-
 dectarum honorificè ad Sepulturam deduci & Terræ mandari de-
 bent. Fuerunt enim Membra Christi, Tempa ac Domicilia Spiritus
 S., Arma justitiæ DEI & divinarum actionum Organa, quæ in die
 illo pantocritico ad Vitæ æternæ tranquillitatem resuscitabuntur, ac
 Corpori Christi glorioso conformia reddentur. Et si nihil ad defuncto-
 rum salutem pertinet, nec quicquam eis accedit aut decedit, qua-
 cunque ratione corpora eorum post mortem tractentur, sive Græco,
 sive Romano more igne crementur, tamen superstium & viven-
 tium causâ, semper Ecclesia piis funerum & Sepulturæ Ceremo-
 niis servavit. De quibus aliquid pro ingenii facultate
 dicturi sumus. Faxit Deus!

Po-



POSITIO I.

§. I.

UT distinctius progrediamur lubet primum dispicere de iis, quæ cum Cadavere acta sunt in domo antequam efferretur; hinc pergemus ad ipsam deductionem, & demique in tumulatione eidemque adhærentibus finiemus. Ante Funeracionem omnium primò occurrit **CADAVERIS LOTIO.** Cum enim quis Animam efflasset, Corpus ejus statim aquâ abluere solebant, & quidem calida, quia solet vitalis Spiritus exclusus putari & Homines fallere, ut legere licet apud *Alexand. ab Alexand. lib. 3. Gen. dier c. 7.* Quem Ritus non solum Romani, sed alii quoque populi accuratissimè observarunt. Hic celebratur solennis Dardanensium Lotio, quos ter tantum per universam Vitam lavari legimus, post partum, cum nuptias inirent, & post Mortem. *Vid. Joh. Kirchn. lib. 1. de Funerib. Rom. c. 7.* immo in ipsâ primitiva ecclesia hanc receptam fuisse Lotionem ex actis Apostolorum *cap. 9. V. 37.* apparet, ubi Thabitham Vita functam confestim *lotam fuisse,* manifestè legimus. Meminit ejus moris quoque Eusebius lib. 7. Histor. Eccles. cap. 17. agens de fervidissimâ Christianorum in eos etiam, quos sæva pestilentia lues abripuerat, charitate: *Quin etiam Sanctorum Corpora manibus erectis supinisq; excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadavera, decenter ornare, illis adherescere, amice complecti, LAVARE ACCURATÈ & linteo funebri involvere non gravati sunt.* Hujus verò muneris curam potissimum ad mulierculas pertinuisse, refert Baronius. Illæ enim Martyrum cadavera curabant, & ita pietatis humanitatisque Officium satis demonstrabant, *Vid. Daniel Fesselius Concion. Funeb. Conc. 12. p. 604.*

lotio aqua calida

§. II. Corpore jam abluto afferebantur *Aromata & Unguenta* in condituram cadaveris insumpta. Per Unctionem

Aromata



onem verò hoc loco nos non intelligimus Pontificiorum
 Unctionem, quam vulgò extremam, sive Unctionis Sacra-
 mentum appellare solent, & illam usque ad ravam clamitan-
 tes semper in ore habent, sed Unctionem in Sepulturæ riti-
 bus adhibitam. Hujus Unctionis Origo rectè ad Ægyptios
 defertur, quia Ægyptus aliàs Terrarum omnium accommo-
 datissima, & unguentis herbisque gloriosa à Plinio celebra-
 tur. Hinc etiam legimus *Genes. 50. v. 2.* quod illustrissimus Æ-
 gypti Princeps Josephus pollinctoribus suis in mandatum
 dederit, ut Patrem Jacobum defunctum aromatibus condi-
 rent. Hujus condituræ aliàs datur causa triplex; partim *civi-*
lis, quia hunc honorem (qui apud Historicos veteres inter
 res illius gentis præcipuè memorandas recensetur) magnis
 Viris haberi consuetum, etiam Patri tanquam Prophetae & Vi-
 ro eximio voluit habere; partim *physica*, ut à corpore putredo
 & fœtor diutius arceretur quod erat in Cananæam depor-
 tandum; partim *mystica*, ut esset testificatio Fidei de Resur-
 rectione Corporum, & Symbolum incorruptionis futuræ.
Vide Caspar. Sibelium Tom. 3, Oper. Theol. Hunc Ritus Israëli-
 tæ secum in Terram Canaan detulerunt, ut patet ex 2. Chron.
 16. 14. Interim tamen Modus Condiendi apud Ægyptios &
 Judæos variat, Ægyptii enim ventre exenterato, & cere-
 bro per nares extracto, intrinsecus Corpora condiebant,
 Judæi verò unguenta & Aromata extrinsecus Corpori ap-
 plicabant, ut refert *Causabonus cont. Annal. Baronii Exer-*
cit. 16. §. 112. pag. 672. Unguenta verò illa ex variorum Aro-
 matum Speciebus confecta erant, ut myrrhâ, aloë, sale,
 cerâ, bitumine & aliis, quod patet ex Joh. 19. 39. ubi Myr-
 rha & Aloës non seorsim, sed *μίγμα σμύνης καὶ ἀλόης* Mixtu-
 ra myrrhæ & aloës vocatur, ut annotavit *Heinsius in Ari-*
starcho Sacro P. 2. c. 15. p. 955. Sonat enim *μίγμα* mixtu-
 ram, & accommodatur propriè ad Medicamentorum mi-
 sturas, item ad colorum compositiones, quæ à pictoribus
 conficiuntur, nec non ad unguentorum, quæ à myropolis
 præparantur. Adducuntur autem hæc duæ species, utpote
 sum-

sumtuosiores, & in hac mixtura maxime dominantes, quia Myrrha & Aloë amaritudine sua vernibus & putredini resistentes, cadavera quam diutissime integra & incorrupta servare possunt. Et hac ratione Alexandri M. corpus & Pompeji in Ægypto ad multos Annos servatum fuit, quod etiam cum admiratione vidisse fertur Imperator Augustus. Transit hic Mos deinde ad Christianos ut ex Patrum scriptis manifestum est. Terrullianus Apolog. c. 42. *Thura plane non emimus, si Arabiae queruntur, sciant Sabæi pluris & carius suas Merces Christianis sepeliendis profligari, quam diis fumigandis.* Idem de Resurrectionis Carnis: *Proinde enim & corpora medicata condimentis sepulturae mausoleis & monumentis sequestrantur.* Plura Testimonia Patrum qui desiderat, videat apud Kirchman. l. cit. c. 8. Adhuc hodie Ritus iste apud Imperatores, Reges & Principes in usu est, ut Corpora exenterentur & Aromatibus impleantur. Et notatu dignum est, quod de Maximiliano I. Imperatore Historiæ Monumenta referunt, qui testamento cavet, ut corpus suum sine ullâ exenteratione terræ mandarent, & loco Aromatum vivam calcem adhiberent, ut corpus putredine natum, ea quoque consumente materia citius in terram suam verteretur.

§. III. Sequuntur *indumenta sepulcralia*, quæ unius generis hant fuisse colligitur ex Joh. 19. 20. *ἔλαβον γὰρ τὸ σώμα τὸ ἱσθηκὸν ἐδήσαν αὐτὸ ὀθονίοις καὶ τῶν δερμάτων, καθὼς ἐθετοῦν τοῖς Ἰουδαίοις ἐν ταφιάζειν.* Acceperunt Corpus Jesu, & *ligaverunt illud linteis* cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. Utitur Evangelista vocabulo *ἐδήσαν*, quod significat *vinxerunt*; Paraphrastes vertit, *involverunt*, q. d. *contraxerunt*, sive in angustum collegerunt corporis mortui membra, vinciendo eadem multiplicibus linteorum sepulcralium voluminibus, ut notat Nicol. Fullerus lib. 6. *Miscell. Theol. Sacr. cap. 18. p. 754.* Accedit & hoc, quod Evangelista notanter habeat plurale *οἱ ἵματια*, quod non uno solum, sed pluribus linteis Corpus Christi obvolutum sit.

vestitus

*Paraphrastes
vinciendo*

Men-



Mentionem quoque facit *Sudarii* cap. XX. 7. *Et sudarium quod super caput ejus non cum LINTEAMINIBUS positum, sed separatim involutum in unum locum.* Ad quæ sepulcralia vestimenta etiam referendæ sunt *fasciæ sepulcrales*, quibus pedes & manus Lazari colligarunt Jos. XI. 44. De his vestimentis conjicit *Menochius lib. 8. Rep. Ebr. cap. 5.* antequam cadavera ad sepulturam efferrentur, suis vestibus, quibus vivi fuerant usi, fuisse indutos Mortuos, & sic exportata; quod factum credit cum Viduæ Naimiticæ filio Luc. XII. 12. cum Tabithâ Act. IX. 37. Sed respondet *Excellentiss. Dn. D. Martin. Geier de luctu Ebraeor. 6. 5. §. 10.* Cùm ne minimam hujus conjecturæ addat rationem, credat ipse solus, non ego. Quid enim hoc fuisset, corpori delibuto induere jam vestem antiquam, mox rursus exuere, aliaque reponere linteamina. Athanasius in Vitâ S. Antonii dicit: *Mos est Egyptiis nobilium & præcipuè Martyrum Corpora linteamine involvere.* Aliquando vestibus cujusvis statui convenientibus defunctos amiciebant, ut de Petro Episcopo Alexandrino & Martyre legimus, quem vestibus sacerdotalibus albi coloris, Collobio & Omophorio fideles induerunt. Fuit Collobium vestis brevior sine manicis; Omophorium vestis Patriarcharum & Episcoporum. Patriarcharum, stolam Aaronis referebat; Episcoporum, habebat figuram Agni & repræsentabat oviculam perditam, quæ in humerum suscepta, reportabatur ad gregem, intertextis crucibus, quæ Christum in ferendis ærumnis imitandum esse admonerent. *Vide Clariss. Dilherr. Diss. Academ. Tom. 1. p. 449.*

*collocatio ad
januam*

§. IV. Cùm itaque mortui loti, unguentis optimis delibuti, feralique ornati essent amiculo aliis intuendum proponebantur, qui ritus à græcis εἰς τὸ νεκρῶν sive νεκρῶν *CADAVERIS COLLOCATIO* vocabatur; Huic collocationi certus locus erat destinatus in publicâ domus parte sive in vestibulo, sive ἐν τῷ εἰσόδῳ (ut de Tabithâ constat Act. IX. 37.) ad januam vel ad ejus limen. Clarissimum hujus
con-

1023

consuetudinis vestigium in Svetonii Augusto habemus, cuius
mortui corpus à Bovillis Equester Ordo suscepit, urbiq; in-
tulit, atq; in vestibulo domus collocavit. In hac collocatione ob-
servabant, ut mortuus foràs spectaret, & facie pedibusque
esset ad januam versus. Nam ut ait Plinius: *Ritu Naturæ
capite hominem gigni mos est, pedibus efferrì.* Ab hoc ritu
clarissimus Lipsius lucem dat Senecæ Epist. XII. *Quis est, in-
quam, iste decrepitus, & merito ad ostium admotus? Foràs
enim spectat.* Ubi in Notis Lipsius: Allusio ad ritum col-
locandi cadaveris, quod solet ad Ostium deponi, pedi-
bus & facie foràs versis, itaque ludit & ait: Merito iste
janitor est, & ostium servat, nam ita locandus & efferen-
dus. Apud Gentiles Mortuis apponebant Arma, libros,
gemmas, vel alia, quæ vivos præcipuè delectassent. Romæ
principum lectis assidebant à lævâ parte Patricii & Nobi-
les, vestibus atris amicti, à dextrâ nobilissimæ Matronæ,
deposito omni ornatu, & vestibus albis velatæ, *Vide Chy-
traeum de Vita & Morte p. 89.* Quam ob causam hæc col-
locatio fuerit instituta, variant Scriptores. Quidam
ex Platone afferunt, ad tertium usque diem collocatum
h. m. corpus substitisse, ut intereà de Mortis certitudine
constaret; Alii hanc addunt rationem, ut amici convo-
cati testarentur eum neque veneno, neque ferro interi-
isse; sed probabilior hæc ratio est, quod hoc factum
fuerit, ut adventantibus spectandum Vitæ humanæ specu-
lum ob oculos poneretur.

§. V. Nunc ad luctum progredimur. Etsi innu-
merabilia magnorum & excellentium Virorum Exempla
adduci possent, qui omnem omnino luctum refugerunt,
& sine lamentatione & planctu mortuos profecuti sunt, at-
tamen claros quoque Viros luctui interdum indulgisse le-
gimus, nec unquam illis tanta ferri vel chalybis duricies
circa pectus fuit, quin liberorum, Parentum aut amico-
rum Mortem sibi lugendam putarint. Et memorabilis est
M. Antonini Pii Vox, qui, cum Marcus Philosophus

B

mor-

luctus-

mortuum educatorem suum fieret, revocareturque ab au-
 licis ministris ab ostentatione pietatis, dixisse scribitur:
*Permitte illi, ut Homo sit; neque enim Philosophia vel Imperium
 tollit affectus.* Pium est Officium lugere mortuos, & eorum,
 qui nobis in hac Vitâ cari, aut de Ecclesia & Republica be-
 ne meriti fuerint, discessu affici. Sic Abraham luget
 Conjugem Saram defunctam Gen. XXIII. 2. Jacobus Filium
 suum Josephum, quem putabat mortuum Gen. XXXVII. 34.
 Israëlitæ Mosen Deut. XXXIV. 8. Josuæ interitum cantores
 lugubribus elegiis deflent; Saulis & Jonathæ Mortem David
 & Socii jejunantes deplorant, & epicedio insigni celebrant
 II. Sam. I. 12. Stephanum protomartyrem sepelierunt Viri
 religiosi, & fecerunt planctum magnum super eum Act.
 VIII. 2. Christus ipse Lazari Amici sui sepulorum adiens la-
 crimas fundit. Quamdiu autem luctus duravit, nil tradi pot-
 est certi. Apud Romanos luctus tempus fuit definitum ha-
 bitatione & æratu & cognationis, idq; ex instituto Regis
 Numæ, qui puerum trimulo minorem lugeri noluit, majore,
 non plures Menses, quam ille Annos vixerat; si tamen deci-
 mum esset annum egressus, ultra Menses decem non permi-
 fit. Junius tamen Brutus, Valerius, Publicola & Augu-
 stus Viri optimè de Republicâ meriti luctu annuo sunt de-
 fleti. Lacedæmoniis undecim tantum dies Luctus præscri-
 psit Lycurgus. Apud Judæos Luctus legitimus tempus
 Mense finiebatur, ut patet ex Deuter. XXI. 13. flebit Pa-
 trem Matremque suam Mense integro. Et citat. Excellent.
 Dn. D. Geierus de Luctu Hebr. cap. 2. ex Majmonide:
*Cùm dies septimus ex parte jam transit, licitum est lavare tam
 Corpus atque Vestes, quam reliqua prius interdicta expedire die
 septimo. Parique ratione, cùm ex parte jam absumptus est tri-
 gesimus, conceditur etiam tonderi ac levigari vestimenta die ipso
 trigesimo. Cùm autem essent Personæ publicæ ac in dignitate
 constitutæ, maximè si de Rep. essent merita, luctus erat tri-
 ginta diebus, quod patet ab exemplo Mosis Deut. XXXIV. 8.
 quem populus Israëliticus ut Ducem fortissimum, Impe-
 ratorem grandævum, & Prophetam visionibus clarissimis
 cele-*

1025

celebratissimum deploravit. Quod verò Ægyptii Jacobum Patriarcham per dies septuaginta flevisse dicuntur, non de integrorum dierum continuo ejulatu, sed de quotidie iterato planctu intelligatur oportet, ut annotavit *Salomon Gesnerus Comment. in Genes p. 940.* Celebratur aliàs planctus septiduanus *Sirach. XXII. 13.* Luctus mortui septem dies. Sic de nobili illâ gentis suæ servatrice legimus: *Luxit illam populus septem diebus. Judith. c. XVI. 29.* Sic Joseph cum totâ suâ cognatione, multis aulicis & Consiliariis Regis, omnibusque honoratis totius Ægypti Patrem suum, per septem dies deplanxerunt. Sed hic non putare debemus, Josephum excessisse modum septendiali planctu, & ad Ægyptiorum mores perversos influxisse metu potius, quàm iudicio; hoc enim postulabat Humanitas, Jacobi dignitas & in super necessitas. Apud Christianos etiam in usu fuit, ut mortuos per septem dies deplorarent, ut Magister *Historiæ Scholasticæ P. Comestor* meminit. Accedit huic mori mysterium, quod tangit *Ambrosius Orat. de Fide Resurrect.:* *Nunc die septimo ad sepulcrum redimus, qui dies Symbolum futura quietis est.* Et *Augustinus l. i. quæst. sup. Genes. ad finem:* *Septimus dies in Scripturis auctoritatem habet: unde alio loco scriptum est; Luctus mortui septem dierum.* Et postea: *Septenarius Numerus propter Sabbathi Sacramentum præcipue quietis indicium est!*

Hæc de illis, quæ ante funeris elationem curata sunt.

POSITIO II.

S. I.

Deducendum jam est Funus nostrum. Ut autem omnia liquidiora fiant, quæritur de iis, quæ deductionem antecedunt. Christiani primitivæ Ecclesiæ, cum ob gravissimos Persecutionum æstus

B 2

diur-

*ante deducti
onem funeris.*

diurno tempore convenire non poterant, hinc nocturnis
 usi fuerunt tumulationibus, de quibus Chytræus de Vita
 & Morte pag. 96. scribit: Martyrum temporibus, cum
 publici congressus Ecclesiæ, Tyrannorum edictis & sævi-
 tiâ adhuc prohiberentur, pii noctu ad Martyrum Corpo-
 ra excubabant, & lectione Psalmorum, Jobi & Concio-
 num Christi & Apostolorum de Resurrectione & Vitâ æ-
 ternâ se mutuò consolabantur, unde Vigiliarum nomen
 huc usque duravit. Successu tamen temporis, diurno
 etiam tempore peragebant, ubi non in vulgi funere, sed
 in primorum tantum Cereos accendebant, de quibus
 Chrysostomus Homil: 4. ad Epist. Hebr. *Dic mihi, quid
 sibi volunt Lampades istæ in funere tam splendida? nonne sicut
 athletas mortuos comitamur?* Vult dicere antiquus Pater
 Lampades in exequiis Christianorum ideò accendi & Fu-
 neri præportari, ut significant defunctos deduci tanquam
 Athletas quosdam, qui devicto seculo ad supremum illum
 Βεῦβεινὸν ac designatorem pergant, coronas ac præmia
 accepturi strenuè pugnatarum pugnarum, ut annotavit
 clariss. Kirchmannus ex Lectionibus sacris Cunrad. Rit-
 tershusii. Fit quoque mentio *Cereorum* in exsequiis Ju-
 stiniani Imperatoris apud Corippum lib. 3.

Nec pura moratus

Augustus, nutu tolli sublime feretrum
 Imperat, & totâ populus processit ab aulâ
 Mæstaque *funereas* accendunt agmine *Ceras*.

Armina lugubria § II. Quod concernit earmina lugubria ex Historiis
 notum est, quomodo Romani Sicines & Præficas habu-
 erint, quæ magno ululatu lamentabile aliquod & in-
 conditum carmen proferebant, de quo Macrobius lib. 2.
 c. 3. in Somn. Scip. ita scribit: *ideo Mortuos ad Sepultu-
 ram cum Cantu prosequi soleo, quoniam Anima ipsa post Cor-
 poris vincula ad originem dulcedinis Musica, id est, ad celum
 ipsam redire creditum antiquis fuisse. Apud Judæos
 certi erant lamentatores & Tibicines, qui rauco suo stre-
 pitu*

1025

pitu tum turbam conciebant, tum pompam præeundo co-
 honestabant, tum Spectatores pompæ advocabant, quod
 patet ex Marc. V. 38. *Ἰσῶρει Ἰερουβον, κλαίοντες καὶ ἀλαλαίζον-
 τας πολλά*, quod Erasmus interpretatur; videtque tumul-
 tum, & flentes & ejulantes multum. Ubi verbum, ἀλα-
 λαίζω significat, inconditum & confusum sonum edo.
 (Casanbono & Beza magis arridet ὀλολυζοντες, quasi gau-
 dio & exultatione mortuos extulissent, quod tamen h. l.
 non procedit). Christiani contra loco Præficarum & Tu-
 bicinum Psaltrias substituebant, quæ *Hymnos cantabant*.
 Testis est D. Hieronymus in Epithaphio Paulæ, Christia-
 nos in funere & exsequiis suorum cecinisse *Alleluja*, quæ
 vox est gratulantis, non lugentis. Hoc autem sine Psal-
 mos, Hymnosque canebant, ut gratias Deo agerent,
 quod eum, qui è Vitâ excessit, jam à laboribus liberaverit,
 quod metu mortis exemptum apud se habeat, immarces-
 sibili ornaturus Coronâ. Hymni enim & Psalmodia sunt
 lætantium. Hinc D. Chrysostomus Homil. 4. ad cap. 2.
 Hebr. (Cit. Gerharo L. de Morte §. 85.) *Quid Hymni
 enim? nonne ut Deum glorificemus, & ei gratias agamus, quod
 jam coronavit discedentem, quod à laboribus liberavit, quod
 à timore liberatum apud se habet, nonne propter hoc Psalmodia?
 omnia ista gratulantium sunt.* Ubi non dubitat sanctus ille
 Orator affirmare Deum ipsum istiusmodi quasi munimenta
 humanorum Animorum extruxisse ad evertendam illam
 perversam consuetudinem plangendi, & insolabiliter lu-
 gendi, mortuos.

§. III. Nunc ad bajulantes, humerosque feretro
 supponentes progredimur. Apud Spartanos Filii recto capi-
 te in veste pullâ Parentes efferre consuevere, ut refert *Alexan-
 der ab Alexandro lib. 3. dier. Genial. cap. 7.* Augusti corpus ad
 rogam humeris Senatorum allatum est. Simile quid vi-
 demus in funere Herodis, quem *מגנתי ישראל* Magna-
 tes Israelis ferebant suis humeris tardè ac graviter ince-
 dentes, quod nulli alii Regum ita factum, ut apud

bajulantes

Schickardum legimus. Quod verò Christianos concernit, Martyrum corpora sævientibus adeò Tyrannis clanculum & supra vehicula in ruralem usum ut plurimum facta, deferebantur ad Sepulcra, quæ ipsa vehicula vocitabantur birota à duabus rotis, ut annotavit è Casalio Excellent. Dn. D. Geierus l. cit. Sed postea in Ecclesiâ Constantinopolitanâ à Constantino M. *Lecticarii* primum instituti erant, qui gratuitam exportandis mortuis operam præstarent, dicti alio nomine *Copiatae* vel *Copiastæ*. Hi ex mille & centum Officinis annuos habebant redditus, unde funerum sumptus fierent. Sæpissimè tamen Homines pietate & Vitâ celebres ab ipsis Episcopis & Sacerdotibus ad sepulturam elatos fuisse constat. Sic de Paulæ Matris funere D. Hieronymus in Epistola ad Eustochium. *Translata est Episcoporum manibus & cervicem feretro subjicientibus cum alii Pontifices Lampades cereosque præferrent, alii choros psallentium ducerent.* Sic cadaver Fulgentii per Sacerdotes deportatum legitur in ejus Vitâ: *Manè verò postquam multitudo maxima populorum de locis finitimis ad exsequias venit, Sacerdotum manibus, ad Ecclesiam civitatis, quæ Secunda dicitur, deportatur, sortitus est honorabile monumentum.* Et hic mos & consuetudo tam sanctè fuit observata, ut etiam *Sodalitatem Mortis* instituerent, de quâ celeberrimus *Dilherrus Tom. 1. Disp. Academ.* ita scribit: Singularem pietate quidam inflammati inierunt *Sodalitatem Mortis*, qualis est in quodam apud Belgas Oppido, Bethunia, partim ab effectu, partim ab Autore CHARITAS ELIGIANA (ab Eligio veteri Flandrorum Apostolo) nominata. Vocatur *Sodalitas Mortis*, quia hanc sibi curam sumit, ut nemo mortuus supremo funeris & sepulcri Honore careat. Ad legitimam hujus rei administrationem quotannis XXI. Viri, ex honestissimo Civium ordine deliguntur qui communibus suffragiis Præpositum, & quatuor ipsius Collegas, quos nominant Majores, creant; qui se Duces præbeant, & ceteros pro suâ Auctoritate, sese subsequi cogant

2029
eogant in ædium mortalium penetralia, inde cadavera
exportare, & quocumque Morbi genere fuerint extincti,
sandapilâ efferre & tumulare. Neque annis abhinc qua-
dringentis & amplius quisquam contagione ullâ, ex ad-
fectis corporibus contracta interiisse deprehensus; si ve-
ra sunt, quæ scribit Aubertus Miræus Canonicus Antvver-
piensis in Notatione ad Auctarium Aquicinctinum, addi-
tum ad Chronicon Anselmi Gemblacensis. Hæc ille.

§. IV. Sequitur Lex Funeris, quæ hæc est, ut præce-
dente Pompâ funebri Vivi sequantur, tanquam haut mul-
to post morituri. Sic Joseph Ægypti Princeps, Patre Ja-
cobo in vera Agnitione promissi seminis piè ad populum
suum congregato, luctum publicum toti provinciæ indi-
cit, & patrem magna nobilium & Sacerdotum frequentia
stipatum ad Sepulturæ Locum deducit in Hebron. Sic
Rex & Propheta David ibat post feretrum & sepelierunt
Abnerum *II Sam. III. 31.* Unde sanè constat cum pompâ ac
processione, eaque haut dubie ordinatâ, deductum hoc
esse funus, magna populi in id collecti copiâ præsentem; eo-
dem modo, sicut Luc. VII. 12. juvenem Naimiticum po-
pulus Civitatis copiosus unâ cum Matre viduâ dicitur pro-
secutus. Quam consuetudinem Christiani quoque obser-
varunt. Deductum enim funus comitabantur Homines,
prout defuncti Vita, aut status conditioque fuerant. Sic
Eusebius lib. 4. de Vita Constantini, funebres Exsequias
pientissimi Imperatoris sic describit: *Cadaver in capsulam
collocatum & purpurato Operculo obtectum Constantinopolim
deportatum, & in basilica sub altissimis gradibus depositum est,
luminibus super candelabris aureis circumcirca accensis, inde de-
ductum in aliud Templum, ubi conditum est, turba frequens omnis
generis secuta est.* Et de obitu Paulæ neminit Hieronymus,
ad Funus ejus totam Palæstinarum Urbium Turbam con-
venisse. Cùm itaque Cognati, Affines & Amici defuncti
corpus prosequuntur, per hunc ordinem admonentur, eos
solum præmitti, non amitti.

Vivi sequuntur

§. V.

§. V. Deducebantur hac processione ad Loca Sepul-
 turæ quæ dicuntur *κοιμητήρια* & Domus viventium; quod
 Pii illic cubantes Deo vivant, & certò revicturi sint; vul-
 gò *Ager Dei* dictus, in quem reconditur sanctum semen,
 quod in æstate novissimi diei excrescet in Vitam æternam.
 Primitus Christianorum Cœmiteria erant extra Urbem;
Omnis civitas, omne castellum ante ingressum habet Sepulcra
 dicit Chrysostronus. Sic Prosper Aquitanicus Episcopus
extra Urbem elatus & humatus est. Armenium Justinii in
 Episcopatu Lucanico successorem *extra Urbem* sepultum
 esse refert Grego. Turonicus lib. 2. cap. 1. At postquam pace
 Ecclesiæ data Templata sua Christiani passim in ipsis Urbibus
 habere cœperunt, etiam Cœmiteria proximo Templis
 loco religiosâ quadam affectione constituerunt, corpora
 ibi melius fortè quietura rati. Neque hac vicinitate
 contenti in ipsis quoque penetralibus Templorum sepeli-
 ri maluerunt, fenestram ad id aperientibus Constantino
 Magno & Honorio Impp. quorum hic Romæ, ille Con-
 stantinopoli in porticu Templi Apostolorum humatus le-
 gitur. Et postea hic mos adeò inualuit, ut legibus fue-
 rit coërcendus à Gratiano, Valentiniano & Theodosio
 Imppp. ut nullus deinceps intra Basilicam Sanctorum sepe-
 liatur. Sed hæc lex & laude digna consuetudo à Mona-
 chis Franciscanis & Dominicanis sublata est; cum illi enim
 viderent numerum fraterculorum augeri, nec tantos sum-
 tus ipsis suppetere, hanc emungendæ pecuniæ artem in-
 venerunt, ut Homines in cucullis Monachorum & prope
 altare sepeliri debere imperitis persuaderent. Hinc do-
 ctis æquè ac indoctis, nobiles & ignobilibus, pauperi-
 bus æquè ac divitibus magna superstitione injecta est, se Ho-
 minum esse beatissimos, si tantum in illis locis sepelirentur,
 quæ Monachorum ridiculis ceremoniis fuerint consecrata.
 Ex quibus sepulturis illi quæstum & lucrum turpissimum
 quæsierunt recedentes adeo, ab antiquissimo ritu. Nam
 loca sepulturæ mortuorum destinata olim, extra Urbem
 fuisse

7037

fuisse exemplis Patriarcharum & aliorum probari potest. Pii in Veteri Testamento elegerunt sibi locum in libero campo. Abraham Pater gentium, Vir fide plenus, devotione summus, obedientiam præcipuus, in præceptis Domini strenuus, in Agro studiosè emto conjugem legitur sepelisse, & ipse in illâ pulcerrimâ spelunca juxta suum Imperium à filiis tumultatus fuisse legitur. Debora sepelitur subter quercum, Rachel in Via, quæ ducit Ephratam. De Judæis clarum est ex variis Historiæ Sacræ locis. Lazari sepulcrum fuisse extra Bethaniam, & Josephi Arimathæi extra Hierosolymam testatur D. Johannes in Evangelio suo. Monumenta illa in quibus domicilium habuit dæmoniachus, extra urbem Gergesenorum fuisse, legimus apud Matth. c. VIII. 28. Præterea illustre hujus Rei testimonium extat in Historiâ Passionis & Resurrexionis nostri, post cujus Resurrexionem plurimos Sanctos, tumulis suis relictis, in sacram Urbem ingressos esse & multis apparuisse, narrat D. Matth. c. XXVII. 53. Idem quoque sanioribus gentilibus probatum fuit. Apud Athenienses Solonis leges nullum Sepulcrum in urbe admiserunt. Sic apud Corinthios similem ritum obtinuisse colligitur ex Pausania, qui testatur, *extra Urbes* maximorum Virorum fuisse monumenta. Romæ sub ipsis Urbis incunabulis multò ante latas à Decemviris leges more quodam receptum fuit, ut extra Urbem sepelirentur Vitâ functi, quod probatur exemplo nontantum Numæ, quem non in Urbe, sed in janiculo humatum fuisse legimus, sed Servii Tullii quoque & aliorum. Postea lege XII. Tabularum sancitum fuit: IN URBE NE SEPELITO NEVE URITO. vide *Alexand. ab Alex. l. 3. dier. gen. c. 2.* Ubi Andreas Tiraquellus in Annotat: p. 205. ex Paulo lib. 1. Sentent. rationem addit: *Corpus in Civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra Civitatis, ut qui contra casecerit, extra Ordinem puniatur.* Platonis institutio fuit, ut in agro infœcundo & sterili sepulcra constituerentur, *ne viventibus officiat* l. 12.

C

de

de legibus. Quando autem in Urbibus & Templis mortui sepeliuntur, metuendum est, ne aer in Templis, praesertim conclusus, vaporibus e sepulcris exhalantibus vitietur. Halitus enim tanto copiosiores exhalant, quanto locus est conclusior, & ob Hominum frequentiam tepidior. Ut non dicam de arenâ sive sabulo & terra, in quâ cadavera mortuorum plura computruerunt, & quæ in Templis solent plurimis Annis retineri, quàm nempe ea tota sit imbuta materia, non tantùm foetida, sed etiam venerata quasi, quam Materiam ad vivos exhalare necesse est, quando monumentis apertis sabulum istud movetur & effoditur, ut hac de re loquitur *Barthol. Keckerman. System: Polit. l. 1. cap. 13.* Et exinde laude digna est hodierna Consuetudo Rerum pub. ut Argentinenfis, Noribergensis & aliarum, in quibus vel rara, vel nulla etiam mortuorum cadavera in Templis urbanis humantur. Cœterùm hâc Funerum extra Urbes Deductione publicè nos admonemur, defunctos jam e Mundo exivisse, & alterius Civitatis cives factos esse.

POSITIO III.

§. I

*Laudatio fune
vri*

Situm jam est, Funus nostrum, & magnæ Matri terræ mandatum. Sequuntur ea, quæ post *Funerationem* facta sunt. Ubi occurrit primùm LAUDATIO FUNEBRIS. Hic non dicemus de Romanis, qui illustrium Virorum Virtutes publicè pro Rostris laudabant, de quib. vid. *Kirchman. lib. 2. de Funer. Rom. c. 18. & 19.* Neque de Ægyptiis, ubi Rege defuncto, per Sacerdotem omnis Vitæ series, dicta atque facta ex alto recensebantur suggestu in maximo Subditorum confluxu, ubi si vitia prævalebant, cadaver abiciebatur insepultum, si virtutes, tumulabatur honore summo. Neque de Davide Rege Israë-litarum maximo, qui Socero Saule & fratre Jonathâ in
præ-



1033

pralio interfectis, Orationem funebrem & Epicedion
ipsis composuit, idque ab omnibus in Judá legi, & ad me-
moriam perpetuam in toto Regno cani, & ad posteritatem
conservari iussit; Sed tantum de Christianis, quomodo
illi defunctum soleanni Oratione funebri commendarint.
Extant enim Veterum Conciones funebres, v. g. Eusebii
in funere Constantini Magni, Nazianzeni in funere Basilii
& Cæsarii, Ambrosii in exequiis Valentiniani & Theodo-
siii, & aliorum; quorum sermones si enumerare vellemus.

Antipodas citius se sol conferret ad imos.

§. II. Si progredimur ad ea, quæ deinceps factita-
ta sunt; fatendum est, Ecclesiam occidentalem impri-
mis de fulgentissimo Virginitatis nitore non parum deper-
didisse: Multæ enim superstitiones & abusus introducti
sunt. Instituerunt *preces & oblationes pro defunctis*, quæ
non ex Scripturâ, sed ex naturali quadam humanæ Men-
tis affectione receptæ & usurpatæ, & tandem superstitiosâ
observatione roboratæ sunt. Et notabile est hoc, quod
Sancti Veteris & Novi Testamenti naturalem illam Affe-
ctionem, in Morte suorum non minus sentirent, quam alii,
non tamen ausi fuerunt peculiarem cultum pro Mortuis
ex propriâ intentione instituere, cum Verbo & mandato
divino destituerentur. Etsi variæ formulæ & multa ex-
emplarum precationum extant in Veteri Testamento,
attamen de Oratione pro Mortuis nec Doctrina, nec Man-
datum, nec promissio, nec forma, nec exemplum ullum,
in Canonicâ Veteris Testamenti Scripturâ invenitur.
Cumque ex professo in multis locis V. T. pia funerum ca-
ratio, luctus & plandus mortuorum describatur, nihil
prorsus de Oratione pro Mortuis, ut à peccatis solvantur,
legitur. Maccabæus hoc ausus fuit inclinata jam Judai-
câ Religione. Sed sicut in V. T. nullum habuit præce-
dentem, ita in N. T. nullum habet sequentem. Nullum
enim vel verbum, vel exemplum Orationis aut Oblatio-
nis extat in Novo Testamento. Quomodo post Apostolo-

lorum Tempora hæ Orationes pro Mortuis in Ecclesiam
 introductæ sint, vide B. Chemnitium P. 3. Concil. Tri-
 dent. p. 162. Ex hisce Orationibus purgatorias suas im-
 posturas probare conantur Pontificii, sed quàm sculnea,
 arenosa & commentitia sint eorum fundamenta, expe-
 rientia satis demonstrat, illa refutare, nostri h. l. non est
 instituti, sed alterius fori, ad quod discendi avidum
 ablegamus, nuda facti recensione contenti, quàm malè,
 quàm benè quodlibet eorum, quæ recensebimus postea,
 factum sit, dispiciant alii. Orationes quidem in Eccle-
 siâ primitus institutæ, erant *εὐχαριστιαὶ καὶ εὐχαριστίας*,
 partim ad agendas Deo gratias, eumque glorificandum
 in servis suis, partim ad promeritam laudem eorum, qui
 in Domino obdormissent, partim quo excitarentur alii
 hoc pacto, ad imitationem defunctorum, partim ad fi-
 dem, spem & charitatem publicè testandam. Joh. Ger-
 hard. Vossius Thes. Theolog. & Histor. Disp. 25. annota-
 vit modum illarum precationum ex Desiderio Heraldio:
 1. *Defunctus à propinquis ad Episcopum deferbatur, ut sa-
 cras pro eo preces conciperet, fortemq; athleticam coronâ donaret.*
 2. *Propinqui hi decantabant Deo hymnos, quibus & Deo gra-
 tias agerent, & sibi similem requiem optarent.* 3. *Episcopus
 etiam concipiebat εὐχὴν εὐχαριστήριον, quod defunctus in co-
 gnitione Dei & militiâ Christianâ ad mortem usque perseveras-
 set.* Hisce officiis testabantur fidem suam de Immortali-
 tate Animarum, & de beato Statu defunctorum, & de fu-
 turâ Resurrectione Corporum, & Spem suam de felici ali-
 quando Exitu, æternâque beatitudine fovebant, & se-
 se mutuò ad sanctam defunctorum fidelium imitationem
 exstimulabant. Vide Joh. Forbesium *Introduct. Histor. Theo-
 log. lib. XIII. cap. 9.* Hinc rectissimè concludit Martinus
 Chemnitius (quem cymbalum Confessionistarum & ex-
 tremam Protestantium lineam vocavit Philippus Caroli)
 P. 3. Concil. Trident: p. 166: Fuerunt itaque Veterum
 Orationes pro Mortuis non satisfactiones, sed publicæ cele-

celebrationes, applicationes & oblationes promissionum divinarum de Remissione peccatorum, Requie & salute pie defunctorum; fuerunt institutiones & exhortationes viventium, fuerunt consolationes & confirmationes lugentium & fuerunt declarationes piarum affectionum animi erga defunctos. Bestialis enim *ἀπάθεια* esset, nihil affici Morre suorum; memoriam amicorum statim ex animo delere, non ipsis bene velle & bene precari, quæ tamen omnia juxta Verbum moderanda sunt. Et ut celeberrimus Theologus *ὁ ἅγιος* Joh. Georg. Dorscheus P. i. Theolog. Zachar. Dissert. 3. p. 69. inquit: *Oraverunt pro defunctis, non ut à purgatorio eos assererent Prisci, sed ad qualemcunque requiem impetrandam, propitiandum judicem, levandas animas, supplicium leve faciendum, ne tanta quanta pati digni sunt, patiantur, in testimonium etiam charitatis & glorificationem Dei debita pro corona defuncto concessa gratitudinis.* Itò nec apud nos quidem improbantur hujusmodi votivæ formulæ, cum vel in suggestu post denunciationem hujus illiusve modo denati, vel sub finem quoque funebrium Sermonum tales subnecti soleant; Da DEUS animæ huic, carè adeò per Christi Sanguinem redemptæ Requiem in Celis beatam, corpori in terræ gremio cubationem tranquillam, in magno illo *ἡμέρῃ τῆς ἀνάστασις* die reduntionem gloriosam propter Christum. Quæ fausta velut ominatio de peregrè digressis, quos porrum jam consecutos spe pleni profiteamur; *Vide Excellent. Dn. D. Mart. Geierum Dissert. Theol. de Precibus pro defunctis.*

§. III. Accedit & hoc, quod Tumulos violis & floribus exornarent; ut ex Prudentii Hymno in exequiis defunctorum patet:

*Nos tecta fovebimus Ossa,
Violis & fronde frequenti,
Titulumque & frigida saxa
Liquido spargemus odore.*

florū sparsio



Et Ambrosius in Oratione funeb. de Obitu Valentiniani:
*Non ego floribus tumulum ejus adspergam, sed Spiritum ejus
 Christi odore perfundam.* Item Hieronym. Epist. ad Pam-
 machium de Obitu Uxoris: *Ceteri Mariti super Tumulos
 Conjugum spargunt Violas, rosas, lilia, floresque purpureos.*
 Sed facta hæc sunt omnia ad testificandam Resurrectionis
 nostræ Spem, quod, quemadmodum flores verno Tem-
 pore renascuntur, sic & nos die illo ἀναπαύσεως finis
 redituri.

Epitaphia

§. IV. Priusquam à Cœmiterio domum revertimur,
 Epitaphia tanquam honoris supremi, perennisque Me-
 moriæ monumenta aspiciamus, quæ à Græcis Ἐπιτάφια,
 à Latinis Tituli vocantur. Apud Romanos crebræ &
 frequentes erant hæ Monumentorum inscriptiones, ut
 etiam puerorum & servorum, viliumque capitum Sepul-
 cra titulis exornarentur; Lacedæmonii contra parcius iis
 usi sunt, qui ex Lycurgi instituto non nisi illorum Tumu-
 lis, qui fortiter in bello occubuissent, Titulum inscri-
 bere solebant. Pleræque autem Ἐπιτάφια non pom-
 posam vaniloquentiam, sed nervosam aliquam senten-
 tiolam olim continebant, sicut in primariâ quapiam
 Germaniæ Civitate duo sunt sibi proxima sepulcra, Senis
 & juvenis, quæ idem quod multi putent, Epitaphium ha-
 bent. Senis tumulus hanc habet inscriptionem, *Et mor-
 tuus est.* Idem etiam Juvenis Tumbæ inscriptum est, *Et
 mortuus est?* Distinguitur hoc posterius à priori solo in-
 terrogandi signo. Et Auctor hoc innuere voluit: Senex
 iste, postquam multas ætates, multasque Hiemes vidit,
 tandem elangvit, *Et mortuus est.* At juvenis Epitaphium,
Et mortuus est? sic interpretandum: Hic juvenis ab opibus,
 à formâ, à corporis viribus præstans, vix mediam Vitæ
 palæstram ingressus, emarcuit, *Et mortuus est?* Capula-
 rem illum Senem esse mortuū pauci dolent, nemo miratur:
 florentissimum hunc juvenem à morte abreptum mirantur
 omnes, plurimi dolent. *Vide Hieremiam Drexelium in*
 Pro-

2037

Prodromo Aeternitatis cap. III. §. 2. Talis inscriptio fuit
Josephi Scaligeri, quam suo incidi Sepulcro jussit :

JOSEPHUS SCALIGER
JULII CÆSARIS à BURDEN
FILIUS
RESURRECTIONEM. HIC. EXSPECTAT.

*Ex quo Modestiam divini Viri, ex quo Pietatem & τὸ
ἀπὸ τῶν, quod semper præ se tulit, facile agnosces, scribit Hein-
sius, encomiastes nempe Præceptoris sui ad Casaubonum.
Hoc unum consideremus probe. Mortem beatam non fa-
ciunt purpureæ exuviæ, non funebres pompæ, non tegmen
holosericum, non longus Ordo comitantium, non sexcen-
tæ faces, non inversi clypei, non lugentes cognati, non
vulgi præconia, non conjugis lamenta, non funereus
laudator, nec defuncti Titulus in marmore victurus, sed
Virtus, sed animus inter Mortis minas infractus & im-
perterritus. BENE VIXISSE, pulcerrimum omnium
Epitaphium est.*

§. Revertimur nunc è Cœmeterio ad ferales ædes,
solliciti *de Epulis*. Antiquissimas gentes olim funebres
Cœnas agitasse ex veterum scriptis notum est. Ac primò
quidem apud Judæos post Funera Convivia agitandi con-
suetudinem fuisse ex S. Scripturæ locis videtur posse colli-
gi. Sic enim post Abneris Sepulturam atque Exequias,
populus Davidem dicitur fuisse sequutus *ἠεὶ δὲ πνήσθη
ἐνεκα*, ut Græcus Interpres vertit, id est, ut funebre
Convivium cum eo iniret. Referunt huc etiam illud
Ezech. XXVI. 17. *Cibos lugentium non comedes.* Hinc
patet moris fuisse, ut in ipsis sepulcris mortuorum Epulæ
ponerentur atque celebrarentur, idque partim ad con-
solationem superstitem, partim ad testimonium honesta-
tis eorum, qui defuncti fuerunt. Sic Josephus lib. 2. de
Bello

Epulæ

Bello Judaico scribit, Archelaum Herodis Filium septem diebus defuncti Patris Mortem Hierosolymis luxisse, & exhibuisse populo lautum Epulum ferale, & addit, hanc epulandi Consuetudinem circa luctus, perquam multos Judæorum ad inopiam redegeisse, quia vulgus necessario adesse cogebatur, quod qui neglexisset, pro impio habebatur. Vide de his Epulis feralibus *Joh. Guilielm. Stuckium lib. 1. Antiquitat: Convivial: cap. 25. fol. 73. Joh. Henric. Ursinum Analect. Sacr. lib. 1. cap. 2.* Si Romanos adæamus, videmus, peractis ad Sepulcrum justis, Convivia interim domi fuisse apparata, ad quæ Amici & cognati convocabantur, & hæc Cœna funebris Silicernium vocabatur, de quib. legere est *Kirchman. lib. 4. de Funerib. Rom. cap. 4. & 5.* Apud Græcos quoque funera cum multis Ceremoniis atque Cœnis magnificis celebrari solita fuisse legimus. Massilienses apud Gallos olim eruditissimi, ut pote à Græcis oriundi, eodem die, quo funus esset elatum, domestico sacrificio adhibito, Necessariorum & cognatorum Convivio celebrato, luctum finire consueverunt, teste *Alexand. ab Alexand.* Hunc Ritu quoque veteres, qui Christianos se invicem appellabant, superstitiosâ imitatione observarunt, atque adeo, pravis moribus subinde succrescentibus, eò venit, ut plerique ad Sepulcra luxuriosissimè & ad ebrietatem usque epularentur. Quem abusum *B. Augustinus lib. 1. de Moribus Eccles. Cathol. cap. 34.* graviter taxat, quod *quidam super mortuos luxuriosè biberint, immo & ipsis cadaveribus epulas exhibuerint, easque voracitates & ebrietates pro religione insuper habuerint.* In hoc igitur ritu abrogando plurimum à S. Patribus fuit laboratum. *Ambrosius libro de Helia & Jejunio cap. VII.* hanc Consuetudinem his Verbis perstringit: *Calices ad sepulcra Martyrum deferunt, atque illic in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitia Hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui estimant illos ebrietate placare, qui jejunio passiones sustinere didi-*

1059.

didicerunt. Et Cyprianus de duplici Martyrio inquit: Temulentia adeo communis est Africa, ut propemodum non habeatur pro crimine. Annon videmus ad Martyrum memorias Christianum à Christiano cogi ad ebrietatem? An hoc levius crimen esse dicimus; quàm Baccho hircum immolare? Instituebantur etiam post Sepulturam à ditioribus Agapæ, id est, Convivia, in quibus præter reliquos Convivas, maximè pauperum Cura habebatur; vel dictæ sunt ἀγάπαι, Charitates, eò quod Christianæ charitatis essent Symbola ac tessera. Gabriel Albaspinus in Observat. Eccles. Observ. 18. Agapas ita describit: In privatam aliquam domum conveniebatur, ubi post fusas ad Deum preces simul cœnabant, cœnati manus abluebant, candelas, cereosque accendi jubebant, Deum precabantur precibus funditi, Scripturam sacram legebant, quo peracto, præses unum aliquem e cœtu de fide suâ interrogabat, mox inter se omnes de rebus divinis sermones ferebant, pecunias aliquas colligebant in alimenta viduarum, inopum & pupillorum, naufragorum & Martyrum &c. Has autem Apostolorum statim temporibus in usu fuisse imprimis ex Pauli, Petri & Judæ scriptis apparet, qui illorum Conviviorum abusum, postquam in Ecclesiâ irrepererat, graviter perstrinxerunt. Sic enim Judas in Epist. vers. 12. Ἔσθι εἰσὶν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες Hi sunt in Agapis vestris maculæ. Quibus verbis Apostolus in Pseudo Christianos vehementer invehitur. Aliàs Agapæ Christianorum, Tertulliano teste ita agitabantur: Nihil immodestix admittebatur, non prius discumbebatur, quàm Oratio ad Deum prægustaretur; edebatur, quantum esurientes capere poterant, bibebatur quantum pudicis erat utile, ita saturabantur, ut qui meminissent etiam per noctem adorandum sibi esse Deum. Unde satis superque constat, AGAPAS, quæ tempore Apostolorum in usu erant non fuisse Convivia, quibus gulæ & ventri indulgeretur, sed frugales & parcissimas fuisse Cœnas & Mensas ad mutuæ Charitatis tantum contesserationem, non ad farciendam

D

alium.



alvum. Hunc verò Ordinem Pseudo Christiani in primi-
 tivâ Ecclesiâ pervertentes, maculæ & dedecora in Agapis
 Christianorum erant. Nam luxuriosis Conviviis inter se
 decertantes, idque ex bonis Ecclesiasticis & collectis &
 oblationibus ditiorum, pauperum nullam suscipiebant
 curam, sed ventriservientes, genioque indulgentes, suo
 ductu & arbitrato victitabant. De iisdem etiam Petrus
 2. Epist. 2: 13. *Pro voluptate ducentes, si in diem deliciis fru-*
antur, labes ac maculæ, qui convivantes, in erroribus suis in-
sultant vobis. Sensus est, falsos illos Doctores per multi-
 plices fraudes ea conquirere & coacervare, quibus postea
 ad luxum & delicias abutuntur, adeoque fraudibus
 suas delicias comparare, hypocrisis suâ alios decipe-
 re solent, dum se veros Doctores simulant: & isti, in-
 quit, sibi videntur lumina esse Ecclesiæ, sed revera $\sigma\pi\lambda\omicron\varsigma$
 $\eta\gamma\iota\omega\upsilon\alpha\iota$ maculæ & vituperia sunt, Sic sind Schand und La-
 ster Lutherus vertit. Similiter gentium Doctor Paulus
 1. Cor. X. Corinthios acriter reprehendit, quod in illis ipsis
 conviviis non Charitati, cujus testificandæ exercendæq;
 causa fuerant institutæ, sed potius æmulationibus, dissi-
 diis, gulæ ventrique studerent, & pauperes insuper con-
 temnerent. Sed hæc Convivia & Agapæ deinde successu
 temporis abrogatæ sunt. Plura de his Agapis videantur
 apud Joh. Michael Dilherrum lib. 1. Elect. cap. 12. p. 74. 75.
 Joh. Forbesium lib. 13. Institut. Hist. Theolog. cap. IX. Fesselium
 Adversar. Sacr. lib. 1. cap. 13. Cass. Sibelium, Tom. 4. Oper.
 Theolog. Concione 35. in Epistol. Judæ.

ossilegium

§. VI. *Ossa forte inventa, in Ossuarium colligebantur.*
 Et hoc erat Ossa legere, vel ut in legibus XII. Tabularum
 legimus: Ossa legere. Verba sunt: HOMINI MORTUO
 OSSUA NE LEGITO. Quibus non vetabarur Ossilegium, de
 quo agimus, sed aliud, quo nonnunquam ossa quædam
 domum reportabantur ad sumtum & ad ostentationem
 majoris faneris. Equidem neq; nos docemus, Corpora
 & ossa Sanctorum contemtum habenda, irreverenter tra-
 ctanda, & in sterquilinum projicienda, sed improbamus
 tan-

tantum Corpora vel ossa eorum cultu religioso, qui in Pa-
 patu viget, veneranda esse. Cultus enim Reliquiarum si
 historias Biblicas expendamus, exemplò probatò omnino
 destituitur, eum nusquam in Scriptura legamus, reliquias
 Sanctorum, à fidelibus religiosè adoratas esse. Verba potius
 Dei ipsius perpendentes pii veteres, *pulvis es & in pulve-
 rem reverteris*, ex hisdem collegisse videntur, ut, corpora &
 ossa Sanctorum, non esse in locum Altaris sublimiorem col-
 locanda, coram illis procidendum, religiosè ea veneran-
 da, sed terræ communi omnium matri demandanda.
 Unde etiam posteros Majorum suorum Corpora honorificè
 sepelivisse legimus, nequaquam verò religiosi cultus gra-
 tia eadem asservasse. Sara uxor Abrahamæ refertur inter
 sanctas Mulieres 1. Pet. 3. 6. ac spiritualis Mater fœmina-
 rum credentium statuitur, num igitur ejus defunctæ Cor-
 pus & ossa religiosâ veneratione fuerunt honorata? mini-
 mè gentium, sed Terræ per Sepulturam illata Gen. XXIII. 19.
 Abrahamum Patrem omnium credentium, sepelierunt Filii
 ejus Isaac & Ismaël Genes. XXV. 29. neq; ullus ad sepulcrum
 ipsius vel aliorum Patriarcharum religionis gratiâ institu-
 tus legitur excursus. Idem de Isaaco, Jacobo, Josepho,
 Josua, Davide & aliis esto judicium. Cùm cadaver cujus-
 dam mortui, in Elisæi sepulchrum projectum, ejus Ossa
 contingeret, ad Vitam ille Homo revocatus fuit, nequa-
 quam verò ibidem additur, quod ossa Elisæi è sepulcro in
 alium locum religionis & cultus gratia fuerint translata,
 quod in posterum etiam vim sanandi morbos, ac revo-
 candi ad Vitam defunctos illis tribuerint II. Reg. XIII. 21. Sic
 DEUS ipse sepelivit Mosen in valle Terræ Moab, sed nemo
 Israëlitarum invenire potuit ejus sepulcrum Deut. XXXIV. 6.
 Liceat nobis conjecturare eo fine Deum Sepulcrum illud
 ignorari voluisse, ne vel circa illud, vel circa Mosis reli-
 quias Populus Israëliticus *Φιλειδωλος* peculiarem cultum
 iustitueret. Quod si asservationis & translationis reliquia-
 rum origo investigari deberet, gentilium Annales consu-
 lenda



lendi forent; Nam de iis legimus, quod corpora præstantium Virorum, in loco ignobiliore condita, ad nobiliora monumenta, magnâ pompâ ac solennitate, transferre consueverint, ut ostendit Historia de translatione Cinerum Demetrii ex Syriâ in Græciam à filio Antigono regiâ planè pompâ instituta, quam describunt Volaterranus & Sabellicus. Plutarchus in Theseo & Cymone describit pompam, quâ Ossa Thesei post annos quadringentos ex insulâ Scyro Athenas fuere translata, & ab Atheniensibus ita excepta, ac si ipse Theseus in urbem rediisset. *Vide Gerbardum Tom. 8. Loc. Theol. §. 101.* Veneratio igitur reliquiarum, ut alia complura ἐξ ἐθνικῆς συνήθειας orta, in Ecclesiam Christianam gentilium exemplo fuit recepta. Quando igitur Sanctorum Corpora effodiuntur & circumgestantur, indigna quasi sepulturâ, idem illis accidit, quod Deus hostibus suis minatur Esa: XIV. 18. quod ossa eorum è sepulcris debeant ejici. Sepulcrum enim est arcula Dei, in qua pretiosas Sanctorum reliquias usque ad ultimum Resurrectionis diem & gloriæ jubilæum servari vult. Tacebo nunc plerasque Reliquias esse dubias & incertas, ut gravissimum subsit periculum, ne Ossibus furis, latronis, immo Canis ac vituli religiosus Honor deferatur. Hoc ex ipsorum quoque saniorum Pontificiorum confessione patet. Georg: Caslander in Consult. Artic. XXI. p. 47. inquit: *Hodiè cum passim omnia reliquias Sanctorum plena esse videantur, verendum est, ne si Episcopi & Principes in veris reliquiis inquirendis ac disjudicandis, quam deberent operam, adhiberent, ingentes & detestanda impostura patefierent, quemadmodum in nonnullis locis factum est, & olim B. Martinò accidit, qui cum locum quendam sue Diocesis, monumento cujusdam tanquam Martyris, celebrem adiisset, deprehendit, non Martyris, sed scelesti latronis monumentum à populo cultum & frequentatum &c.* Erasmus, (quem Pererius Virum de mysteriis fidei benè sentientem, & de Theologia optimè meritum, Sixtus Senensis, incomparabilem Theologum, & inter doctissimos sui seculi eruditissimum vocat

vocat

109507

vocat,) in Annot. Matth. XXIII. inquit: *Si fragmenta Crucis in acervum redigantur, vix una navis oneraria vehat, cum tamen Evangelium testificetur ab unico Homine ferri potuisse.* D. Chemnitius Part. IV. Examin: cap. de Reliq. p. 20. memorat, Andream Abbatem Amelunxbornensem, Virum eruditum & gravem narrare solitum, quid Eduardo Anglorum Regi ex dentibus laboranti olim acciderit: Cum enim ille mandasset, *Apolloniae* dentes, qui ubiq; in Regni sui Templis inter Reliquias servabantur, ad se mitti, tot ex unius regni reliquiis Apolloniae dentes coacervati fuerunt, quos aliquot tonnæ capere non potuerunt. Nostra quoque Wittenberga de hujusmodi Reliquiis testari potest, quæ proximè ante Lutheri tempora in Templo nostro ad Arcem omnibus Sanctis dicato, videri poterant. Extat vetustus Liber Anno 1509 Wittenbergæ impressus, die *Zeigung des hoch lobwürdigen Heiligtumbes der Stifft-Kirchen aller Heiligen zu Wittenberg / qui operâ B. Franzii nostri in ipso Jubilæo Anno 1617. recusus, quo dentes, manus, digiti, pedes, cutes, crines, vestes, ossa, capita, corpora, particulae mille aliæ Sanctorum, exhibentur; Adducamus fabulas, e. g. Vom Wasser aus dem Grabe S. Walpurgis fließend 1. Partickel / drey Zähne von der Heiligen Walpurgis / von den Handschuen St. Kungundis 1. Partickel / vom Grabe St. Catharinae 9. Partickel / von ihrer Milch vor Blut vergossen 1. Partickel / von den 11000. Jungfrauen 454. Partickel / von der Treppen darunter Lazarus gelegen hat 1. Partickel / von S. Lazari Gebeine 12. Partickel / von einem Zahen S. Lazari 1. Partickel / ein ganzes Glied S. Lazari / von einer Nieren Lazari 1. Partickel / vom Schulterbeine S. Laurentii zu Prage getheilet / und die Zeit noch geblutet hat / von den Unschuldigen Kindelein 204. Partickel / unter welchen viel ganze Glieder / Arm und Bein sind / von den Häuten der Unschuldigen Kindelein 2. grosse Partickel / von ihren Häuptern 5. grosse Partickel / zweene ganze Finger und eine ganze Hand von den Unschuldigen Kindelein / von den 7. Schlässern 15. Partickel / eine halbe*

D ij

Ribbe

Ribbe von den 7. Schlöffern! von den Steinen/ damit Ste-
 phanus gesteiniget 8. Partickel/ von dem Gebem St. Christo-
 phori 36. Partickel/ ein groß Partickel von einen Daumen / drey
 grosse Partickel von den Zähnen St. Christophori/ von der Ca-
 sel St. Johannis 4. Partickel/ von den Haaren Mariæ 4. Par-
 tickel / von dem Hembde Mariæ 3. Partickel/ 2c. 2c. Additur
 tandem & concluditur. Summa Summarum aller Parti-
 ckel 5 tausend und 5 Part/ vom jeglichen Partickel hundert Jahr
 Ablass/ sind acht Gänge/ hat jeglicher Gang insonderheit hundert
 Tage/ und ein Caren Ablass. Selig sind/ die sich dessen theil-
 hafftig machen. Vides; quantum immutatus quondam
 fuerit pristina Ecclesia, cum mortuis agendi, ritus, in qua
 reliquia fidelium non superstitiosè ostendebantur, sed ter-
 ra tradebantur, unde Prudentius cecinit:

*Nunc suscipe terra fovendum,
 Gremioque hunc concipe molli
 Hominis tibi membra sequestro,
 Generosa es fragmina credo.*

Neque Eusebii tempore alius mos obtinebat, cum testetur
 is L. IV. se Martyrū ossa gemmis pretiosiora collegisse qui-
 dem, sed sicut conveniebat, ex more condidisse, id est, se-
 pelivisse. Nos quoque rectè facimus, si ossa, acervatim col-
 lecta, aspicientes, cogitamus statim & inter nos disputa-
 mus, dicentes: Ecce, quid tandem ex nobis fiet? Posse-
 mus ex antiquitate plura de Funerationibus eruere, sed
 quia dissertatio excrevit, claudemus eam aureolo Augustini
 effato lib. I. de Civit. Dei cap. 13. *Non sunt contemnenda
 & abjicienda Corpora defunctorum, maxime justorum atq; fide-
 lum, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona Opera san-
 ctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac siquid
 hujusmodi, tanto charius posteris, quanto erga Parentes major af-
 fectus; nullo modo ipsa spernenda sunt Corpora, que utiq; multo
 familiarius atq; conjunctius, quam qualibet indumenta gesta-
 mus.*

DEO SIT LAUS.



1095

Ad Per Eximium & Eruditissimum

DN. RESPONDENTEM Disputationis
Autorem.

Est novitatis amans hominum natura; & in hisce
Sese delectans quod sibi profit, habet.
Nec minus antiquis operam navasse juvabit
Et veterum mores scribere laudis erit.
Ergo KITTELI labor haut frustraneus, his quem
Impendis studiis. Perge: Honor amplius erit.

gratulab. scrib.

PRÆSES.



Visa potens nimium superis Gens facta reliquit,
Quæ valet Ingenium dulcius ore loqui.
Pollet Ephemerides Latii percurrere gaudens
KITTELIUS doctâ, nec sine laude, manu.
Apprecor ut cœptum Dominus sine fine secundet,
Crescat ut ingenii dulce laboris opus.

amicitiæ testandæ ergo
L. M. Q. appon.

M. Zacharias Hermannus,
Uratislav.

Sunt



704-6.

QX
TH

330

Sunt, quos moliris, KITTELI doctæ, Labores
Grandes, proficui, fatidiciq; Tibi.
Grande est, scrutari memorata indagine dulci
Antiquæ, & Ritus exposuisse juvat.
Funera Priscorum repetis flammâsq; rogales,
Sic tua & antè & post Funera clarus eris.

Ita

Litteratissimo Dn. Respondenti,
Conterraneo meo honorando
ominabar

M. Michaël Liebenantz/
Uratilav. Siles.

Der Mensch das fluge Thier wie Edel Er auch ist
Von seines Schöpfers Hand aus Erden auff gebauet?
Hat endlich diß darvon/ daß er den Kirchhoff grüßte
Da er der Mutter Schoß wird wieder anvertrauet.
Wohl nun und mehr als wohl dem der gelebet hat/
Daß seine Todten-Grufft ihm kan das Zeugnis geben
Er habe seinen Gang der Tugend schönem Pfad
Bis an den Todes-Gang durch seinen Lauff ergeben.
Gewiß der Ruhm der dort an seiner Todten-Grufft
Den schönen Blumen gleich mit offnen Knospen blühet/
Bestehet bis dich und mich der letzte Lermen rufft.
Und diß was irrdisch ist in vollen Flammen glühet.
Mein Freund du schreibest hier mit sonderbahrem Fleiß/
Wie man die Alten pflag nach Würden einzugraben.
Wohl an dir wird hier vor ein Krantz von Lorbeer-Keiß.
Den du nach deinem Lauff auff deiner Grufft kanst haben.

in höchster Eil schrieb dieses
gegenwertiger

Disputation Authori

C. H.

VDTT

M.F



1016

Handwritten text on the left page of the manuscript, including a circular stamp.

Handwritten text on the left page of the manuscript, including a circular stamp.

Handwritten text on the right page of the manuscript, including a circular stamp.

Handwritten text on the right page of the manuscript, including a circular stamp.

